

Universitätsbibliothek Wuppertal

Tabvlæ Geographicae Cl. Ptolem[a]ei

Mercator, Gerhard

Coloniae Agrippinae, 1578

Widmungsbrief

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-441](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-441)

ILLVSTRISSIMO
 CLEMENTISS:q; PRINCIPI
 VVILHELMO,
 DVCI IVLIAE, CLIVIAE, & MON-
 TIS, COM: MARCHIAE & RA-
 VENSPVRGLDOM: IN
 RAVENSTEIN, &c,
 BONORVM STVDIORVM MOE-
 CENATI PRAESTANTISS:
 SACRVM.



T magni interest Princeps Illustrissime, non modò ad communes ciuium vsus, verùm etiam ad salubriter instituendam scèliciterque gubernandam rempublicam, esse qui ea studia excolant, quorum adminiculo ad artium principia & causas, rerumque agendarum œconomiam & prudentiam peruenitur, ita magni quoque refert eos qui talia excolunt & illustrant, si ad dignam aliquam frugem pertingere debeant, magnos principesque viros Mœcenates habere. Quantò enim honestius laudabiliusque vitæ genus hi sectantur, tantò pronius improborum inuidiæ & calumnijs subijciuntur, vt facile lacepsiti obrectationibus, insimulationibus fatigati, & pressi iniurijs suscepti oneris tædio afficiantur, nec metam quam alioqui poterant assequantur, nisi Principum & magnatum gratia autoritateque ab æmulorum technis securos sua cum alacritate prosequi liceat. Debetur autem immortalis gratia Principibus illis, quorum fauore & patrocínio huiusmodi studia fouentur & promouentur, non solum ab ijs qui ea tractant, sed & ab illis, qui ad priuatarum publicarumque rerum praxim ea dirigunt, quando vt sine his inerudita est omnis praxis, ita sine principum tutela flaccescunt illa & intermoriuntur. Mihi igitur quum Illustrissimæ Clementiæ Tuæ benignum patrocínio multis iam annis cõtigerit, ea merito incumbit necessitas, vt æterno aliquo opere illud celebrem, testatumque venturis sæculis reddam, quo ne ego honestam debitamque gratitudinem neglexisse vnquam videar, & si quid vtile reipublicæ præstitero, studiosa posteritas Illustrissimo Nomini Tuo dignas laudes referat. Primum ab adolescentia studium mihi fuit Geographia, in quo dum progrederer, adhibita naturali & geometrica speculatione, successu temporis admiranda inueni, non in geographia tantum, sed in vniuersæ huius mundanæ machinæ constitutione, quorum multa hætenus à nemine perspecta sunt. Hæc in lucem dare cum sit institutum, à geographia putauit, adeoque ab ipsis Ptolomæi vetustissimis tabulis initium faciendum, quas Illustrissimæ C. T. in æternam memoriam dedicatas consecratasque opto & offero, precorque vt eiusdem protectione à clancularijs inuidiæ morsibus deinceps, vt hætenus, defendar, quo concepta mundi mysteria aliquando ad perfectionem optatam deducere valeam, quæ vt grata doctis omnibus fore confido, ita Illustriss: Cel: Tuæ laudi danda spero, quam diuina Maiestas quàm diutissime nobis incolumem seruare dignetur.

Duysburgi mense Febr: 1578.

Illustriss: C. T.

subditissimus cliens

Gerardus Mercator.